



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117832**

§.12. Epistola ad S. Leandrum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

S. Leander ubi S. Gregorii Papæ E. <sup>Sæculum VI.</sup> A. C. 591.  
lectionem comperit, datis ad eum Lit. A. C. 591.  
teris, Recaredi Regis veram conversio- Greg. l. I.  
nem & constantem pietatem significavit. epist. 41.

In iisdem Epistolis consulebat Pontifi-  
cem de tribus in Baptismo immersioni-  
bus, quibus abutebantur Ariani, & quæ-  
rebat, an ulterius servandus esset hic  
usus, cum jam in diversis Ecclesiis di-  
versa consuetudo absque Fidei præjudi-  
cio invaluisset. Præterea aliquos Libros,  
& inter alios Expositionem ejus in Jobum  
petebat.

## §. XII.

*Epistola ad S. Leandrum.*

Sancto Gregorio ad epistolam S. Lean-  
dri non prius respondere vacavit, quam  
diu postea, nempe Mense Majo anni se-  
quentis 591. responditque in hæc verba:  
*Vehementer cupiebam tibi promptius re-* I. epist. 41.  
*spondere; sed tot tantisque in Episcopatu*  
*curis premor, ut me multo magis flere ju-*  
*vet, quam loqui. Id intelliges ex negli-*  
*gentia mea, dum tamdiu tibi respondere*  
*distuli, tibi, inquam, quem ardentissi-*  
*mo amore prosequor. Datum est mihi re-* I. epist. 4.  
*gimen veteris navigii, tam diu fluctibus*  
*pulsati, & tempestatibus fracti, ut illud*  
*ad portum deducere nequeam. Idem an-*  
*no superiore ad Joannem Constantino-*  
*politanum scripserat, rogans, ut pro se*  
*oraret,*



Sæculum VI. oraret, additis his verbis: *eo facilius*  
A.C. 591. *orare potes, quo a Regionis hujusce calamitate longius abes.* Ex his discimus, illam allegoriam veteris navigii tamdiu in statu & quassati non de Ecclesia, sed de urbe Romana toties vastata, & tunc imminentes Longobardos gravissimos hostes timente, esse accipiendam; quippe S. Gregorius etiam curam quietis, & Salutaris Reipublicæ in rebus temporalibus, etiamsi maxime voluisset, a se amoliri non poterat, quod posteriora nos docerunt tempora. Ad Leandrum vero scribens prosequitur in hunc modum: *per dicendo non sum, quanto gaudio perfundatur cor meum, dum lego, Recaredum Regem ad Fidem Catholicam ex toto corde fuisse conversum. Illa indole, quam mihi depingis, Principem, etsi nunquam a me visum, tenerrime amare cogor. Igitur curam ei maximam impende, ne in bonis operibus extollatur, sed vitæ Sanctitatis fidei integritati respondeat.*

*Quod ad immersiones in Baptismo pertinet; earum usum retinemus ad indicandos tres Sepulturæ dies, aut si cui magis placeat, ad exprimendas tres Divinas Personas in Trinitate, sicut immersio unica Naturæ Divinæ unitatem significare potest. Quia vero Hæretici ter baptizandos immergebant, arbitror, hunc usum inter vos esse tollendum, ne crimentur,*



nos æque ac ipsos Divinitatem dividere, Sæculum VI.  
 & jactent se apud rerum ignaros, consue- A. C. 591.  
 tudinem suam nostra meliorem esse. Mit-  
 to tibi libros, quorum indiculus hic jun-  
 ctus est. Explicationem in Jobum prius  
 in Homilias divisam jam in justum librum  
 diggessi, & in Notariorum manibus est.  
 Hæc Epistola Mense Majo Indictione no-  
 na anno 591. data.

## §. XIII.

S. Gregorius Concilium quintum  
defendit.

Sanctus Gregorius Mense Februario ejus-  
 dem anni, Concilio Romæ celebra- I. epist. 23.  
 to, scripsit ad quatuor Patriarchas Epi-  
 stolas suas Synodales, seu potius unam  
 Epistolam, cujus plura Exempla eis mi-  
 sit; scilicet Joanni Constantinopolitano,  
 Eulogio Alexandrino, Gregorio Antio-  
 cheno, Joanni Jerosolymitano & Ana-  
 stasio Antiocheno. Ideo vero ad duos  
 Patriarchas Antiochenos scripsit Papa,  
 quia Anastasium, licet Gregorius illius  
 Cathedræ possessione gauderet, pro E-  
 piscopo Antiocheno habebat. Imo datis  
 ad Imperatorem litteris petierat, ut sal-  
 tem, si Anastasio ad Sedem suam redire  
 non concederetur, mitteretur Romam  
 cum potestate utendi Pallio, ubi Missam  
 ad S. Petrum cum Papa celebraret. Epi-  
 stolæ Synodalis Exordium ducit S. Gre-  
 gorius